



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas
Semper Adest**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 2. Cur læsi non facilè debeant, ad diuinum tribunal, alios inuitare?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

quin illico ad diuinum Tribunal appellet. *Magna otia cali*, si illicò fieri debet, quod petunt impatientes.

§. II.

Cur laesi non facile debeant, ad diuinum tribunal, alios inuitare?

Meritò istis dicitur: *Nescitis, quid petatis:*

Matt. 20. & illud: *Petitis, & non accipitis: eò quòd ma-*

22. Iac. 4. *le petatis: ut in concupiscentijs vestris insuma-*

8. *ris.* Nam inprimis, non omnia, quæ diuino instinctu Sancti fecerunt, sunt imitanda.

Deinde, quis sibi sanctitatem polliceatur? quis non falli potest, cum se se iudicat innocentem?

Nemo, in sua causa, bonus index. Amor sui vnumquemque excæcat, ut non videat rectum quod est; rectèq;

se putet fecisse, quando maximè deflexit ab æquitate.

Quin & ira iudicium corrumpit, ut iniuriam maximam, iustam esse vindictam arbitretur.

Psal. 6. 7. *Turbatus est à furore oculus meus*, ait ille. In Hebræo, pro *turbatus*, est, *caligauit*.

Vbi quidem sensus est, oculus meus, propter furorem & indignationem meam, contra turpitudinem peccati, à fletu nimio, quasi corrosus, turbatus est, & caligauit: potest tamen etiam quiuis furiosus id dicere.

Non finit enim furor hominem

nem

nem cernere verum. *Nam non potest iratus in seipso manere*, ait D. Chrysofomus, *sicut influctus surgens mare. Ita cōmifcentur omnia*, & *tanquam fons purus, immiffo turbatur ceno*. Quod veteres tragœdi, in Aiace flagellifero ostenderunt. Ajax enim Telamoni-
nius, ab Vlyffe, in iudicio, victus, præ ira, infaniens pecora occidit, credens se Vlyfsem, cum socijs, occidere. Itaq; multi iracundia odioque correpti, & velut œstro perciti, bestias pro hominibus, homines, pro bestijs aspiciunt; & non rarò innocentes iudicant esse nocentes. Cum ergo rarissimè, qui læsi sunt, non fiant iracundi, facile accidere potest, vt alios reos atque iniuriosos existiment, quando ipsi rei sunt atque iniuriosi. Quàm malè autem isti sibi confulerent, si rei ipsi innoxios ad diuinum tribunal, vbi omnia in aperto sunt, trahere vellent? accusandi non accusaturi. Neque enim existimare debent, Dei iudicia, esse sicut sæpe sunt iudicia hominum inexper-
torum, aut affectibus deditorum, apud quos, *prior tempore, prior iure* esse consue-
uit; & viciffè est, præuenisse, quia *fauor est primò occupantis*. Non sic iudicat Deus, cuius sententia nunquam damnat innocen-

S. Chryf.
homil.
62. ad
pōp.

L

tem;

tem, nunquam absoluit reum præuenientem.

§. III.

Alia causa, ob quas tutum non est, ad Superos iudices appellare; etsi id per se illicitum non sit.

Tametsi ergo ea, de qua tot exempla enumerauimus, Sanctorum ad diuinum tribunal appellatio licita, diuinisque legibus contraria non fuerit: tametsi etiam constet, per eiusmodi exempla, diuinam mortalibus iustitiam innotuisse, Principesque multos didicisse, in subditorum sanguinem non esse defæuendum, neque proculcanda iura: tametsi etiam mentes recti conscientia atque innocentes roborentur, per talia exempla, ut diuinæ iustitiæ fiducia niti assuescant: tametsi etiam prohibita non sit eiusmodi prouocatio, quæ eodem animo, iisdemque de causis suscipitur, quibus rex Dauid, Pontifex Zacharias, beatæ illæ animæ; Paulus Apostolus, Episcopus Benno, alijque eam Sancti usurpauerunt: quis tamen sibi polliceri potest, non solum eandem, cum istis sanctitatem, verum etiam eandem rectitudinem intentionis? Quam citò se insinuat cupiditas ultionis? quam facile subrepat odium, aut immoderatus affectus,